

num, & Senicam) recepit. Inde media bruma copiis in 1484
hyberna dimissis, ipse Venetias cum aliquot illustribus
viris venit. Mocenicus Princeps ac Patres, bucentauro ad
id magnifice instructo, venienti illi obviam prodire: *Liberalitas*
multis amplisque muneribus ob provinciam strenue admi- *Senatus Ve-*
nistratam publice donatus est: in Patavino agro Civita- *neti.*
tula, oppido insigni: in Veronensi Montorio, suburbano
amœnissimo: in urbeque pretiosis ædibus. Decretum &
uxori salarium, ut laute splendideque pro præsentī for-
tuna ageret. Pari munificentia Senatus Rubrios Parmen-
ses, qui principatu dejecti illis ferme diebus Venetias ve-
nerant, prosecutus est: benigne a Principe & Patribus
accepti, jussi sunt bono animo esse: nunquam Venetum
Senatum Parmensium Rubriorum in se meritum oblivioni
daturum. Irent & in præsentia aurum acciperent, quo se
numerosamque familiam honorifice alerent: atque cum
his datum eis ex ærario magnum auri pondus. Decre-
tum inde Guidoni & Jacobo fratribus annum stipendium
duum & triginta millium aureorum nummum: tertio,
qui initiari cupiebat, sacerdotium in Veronensi opulen-
tissimum. Hæc domi. In Gallia vero post Severinatis di-
gressum Joannes Antonius Scariotus, qui quingentos equi-
tes Cremam hyematum ducebat, fraude eorum, quos du-
ces fortitus est, in insidias præcipitatus, omnem ferme
equitatum amisit, ipse cum filio & modica equitum par-
te per medios hostes in pacatum evasit. Reliqua hyberna
etsi non bellicosa, haud omnino tamen quieta fuerunt,
pluribus citro ultroque terroribus illatis, præliisque non-
nullis, sed illis ipsis tumultuariis, & sine memorabili
eventu commissis.

Media ferme hyeme Severinas cum Nicolao Pifauro 1485
legato Novos Urceos, ubi Fracassus cum bona copiarum
parte hybernabat, venit: post cujus reditum Antonius
Victurius domum dimissus est: fuitque Pifaurius solus in
castris legatus usque ad Lucæ Pisani adventum, qui post
Zachariam Barbarum aliquandiu Brixia præsidio fuerat:
hi usque ad belli exitum in castris fuere. Et ne interim